

sentium sub nostrae imperialis maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Ulmae anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto die nona mensis Junii regnorum nostrorum anno Hungariae 20. quadragesimo octavo, Romanorum vicesimo quarto, Boemiae decimo quarto, imperii vero secundo.

Ad mandatum domini imperatoris domino Caspate cancellario referente Theodericus Ebbracht.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem grossen wohlerhaltenen Majestätssiegel des Kaisers an einem Pergamentstreifen.

No. 951. 1434. 9. Juni.

*K. Sigmund nimmt das Hochstift Meissen mit allen seinen Zugehörigen Vasallen, Unterthanen und Besitzungen in seinen und des Reiches Schutz, und überträgt dessen Handhabung dem jezeitigen Könige von Böhmen, Erztruchsess und Kurfürsten des Reichs.*

Sigismundus dei gratia Romanorum imperator semper augustus ac Hungariae Boemiae Dalmatiae Croatiae etc. rex. Notum facimus tenore praesentium universis. Inter illas gloriosae publicae rei curas, quibus Romani imperii fastigium, cui auctore domino licet insufficientibus meritis praesidemus, assidue meditari nos ammonet, specialissime in votis gerimus, quomodo venerandas ecclesias et ecclesiasticas personas virtutum domino devotius famulantes, quarum etiam precibus apud altissimum iuvari confidimus, a molestiis et violentorum hominum offensionibus defendemus. Sane licet venerabilem Johannem episcopum Misnensem principem et consiliarium nostrum devotum dilectum eiusque successores episcopos et ecclesiam Misnensem ex benignitatis nostrae clementia, qua eisdem afficimur gratia singulari, cum universis et singulis suis personis vasallis subditis opidis villis praediis possessionibus bonisque pheodalibus et propriis ac rebus aliis quibuscumque in nostram et sacri Romani imperii protectionem tuitionem et defensionem receperimus specialem, prout etiam auctoritate caesarea tenore praesentium recipimus gratiose. Quia tamen locorum distantia prohibente nosque et nostri successores Romani imperatores et reges pro tempore negotiorum nostrorum varietatibus innumeris praepediti tuitioni et tutelae eorundem episcopi et ecclesiae ac suorum iurium ac pertinentiarum huiusmodi prout necessitas id exposceret adesse personaliter non valemus, ideo pro dictorum episcopi et ecclesiae ampliori tuitione commodius facienda et serenissimi regis Boemiae archidapiferi et principis electoris heredis seu successoris nostri carissimi pro tempore existentis potentiam virium et vicinitatem regni Boemiae, in cuius certis terris eadem Misnensis ecclesia diversos vasallos decimas et iura alia habere dicitur, singularem habendo respectum, eosdem episcopum ac successores suos et ecclesiam Misnensem cum dictis suis bonis iuribus et pertinentiis universis eidem regi Boemiae nobis succedenti tuendos et defendendos commisimus, immo tenore praesentium auctoritate Romana caesarea committimus et mandamus, dantes sibi facultatem et omnimodam potestatem, quatenus idem rex pro tempore huiusmodi nostra imperiali commissione fretus nostro et imperii sacri et sui regni nomine praefatos episcopum ac successores suos et ecclesiam cum uni-